

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0381

0379

0385

0375

0390

0370

368
tempestate, qua et Hercules, et pares eos fuisse aetate et fortitudine, ambosque fraude periisse. Et tantum de illo.

0430
De quodam insigni aestuario, in quo peregrini laeti
balneabantur cum Sarracenis.

Secunda die dicta Missa accersivimus Trutschelmannum
et rogavimus eum, ut nos educeret in desertum ad terminum
nostrum, et promisit, quod in crastinum profecturi essemus.
Qua promissione laetificati fuimus et prandio sumto omnes
simul ad Sarracenorum aestuarium ivimus et balneati ac loti
fuimus. Qualia autem sint aestuaria Sarracenorum, vide P. 1.
fol. 84. Sed hoc aestuarium in Gazara est super omnia pre-
tiosius, quae vidi. Nam ante stupram est circuitus testudinatus,
sicut ambitus claustrum, in quo sunt plures cellulæ sine lectis,
stratae mattis et plectis palmarum et singulae cellæ cortinis
tantum clauduntur. In his balneare volentes se exuunt et in-
duunt. In ipsis cellis pendent panni mundi, quibus praecin-
guntur ingredi volentes ab umbilico usque ad genua, loco
braccarum et perizomatum; et totum ante et retro tegitur. In
medio ambitu est unus fons, per multas cannas saliens de
marmorea columna et omnes parietes et pavimentum ante
aestuarium et intus sunt vestitiae marmore candido vario et
polito, ita quod transiens habet se cavere ut caute vadat,
ne lubricidet, sicut ille, qui super glaciem vadit. Ipsum
autem aestuarium est in modum turris quadrata, et gappa
sive testudo cooperiens ipsum non habet tectum, sed habet
plurima rotunda foramina, ut caput hominis, clausa fenestris
vitreis diversorum colorum, per quod lumen obscurum, suffi-
ciens tamen, ingreditur; in ipso autem aestuario non est for-
nax, nec sentitur ardor ignis nec fumus, sed in una parte
sub pavimento sunt carbones, quibus marmora pavimenti ca-
lefiunt et aqua fervens per canale in lapidem cavatum currens
hoc totum habitaculum calore replet. In alio latere intrat
aqua frigida. Est enim, ut dixi, habitaculum quadratum, et
non habet lumen, nisi per foramina testudinis, et in uno latere
est calor abundans et aqua calida, in secundo latere est fri-
gus et aqua frigida, tertium latus est liberum et quietum, per

Ende

Anfang